



9



an 43

IOACHIMI FLEMINGI

Anhaldini
Flammarum juvenilium
Apospasmatis apospasmatum

NUPTIIS AVSPICATISSIMIS
viri Juvenis

Ornatissimi ac Humanissimi

Dn. GEORGII von Berge Ser-

vestani, Laudatissimæ Reip. Patriæ p. t.
ab epistolis dignioribus.

&

Lectissima honestissimaq; Virginis

CATHARINÆ VTENIÆ

Honestissimi viri

PETRI VTENII, p. m. EIVSDEM

Reip. primarij civis Filia Ser-
vestæ 31. Mal. celebrandis

Adplicatum, dedicatum.

WITTEBERGAE,

Typis Müllerianis,

Anno M DC XIX.

Ex dono P. Alberti S. Daniel Ludovicus possessor.

LECTVRO.

Vultu severi cedite paululum,
Amusitati vosq; facessite.
Hinc, este nostro exterminati
Margine relligiosiores.
Non hæc olebunt quid tetricæ nimis
Severitatis metra, oculis graves
Non heic videbunt quid facessant,
Reddimus heic sua nec sacra aræ.
Nec deprehendes spurcitiem tamen,
Obscœniores sive jocos, piam
Mentem indecentes, sive verba
Quem ferientia fastuosè.
Quòd si feriri quis fuerit sibi
Visus, jocanti det veniam lyræ,
Ferre mens non est, amoris.
Fingere sed faciem, & jocarî,
Hoc in libello cum paribus mihi
Res est, medullis vulnus alentibus,
Et strenuè qui militârunt.
In parili juvenes arenâ
Olim; Camenis sufficiat meis
Placere solis hisce, nec unius
Vel assis omnes æstimabo,
Quotquot erunt reliqui, Theonès.

AD SPONSUM.

AD tua quòd thalami haut compareo sacra jugalis,
Nescio quo Fato, quâ ratione vector;
Oprime Sponse dab s veniam, mihi quemq; volebas.
Fortè, dabis chartis carminibusq; locum.

AD

AD SPONSVM.

Pridem (recordor) essem
 Pars cum ipse magna vestra
 Adhuc sodalitatis,
 Ibas amore tutus
 Et ignibus solutus,
 Cupidiniq; telo
 Amasiaq; velo
 Peplaq; persolutus.
 Et semper increpabas.
 Semperq; iustitabas
 Nos (hem fuisse fingam
 Et memet ex misellu)
 Misellulos amantes,
 Nos atq; colloquentes
 De amasiis puellis,
 Et invicem querentes
 De sortibus misellis,
 Quin jam fugam parabas,
 E m tamen minatus
 Silere mox jubebas.
 Quantum, Georgi, ab illo
 Mutatus, ho? qui artens
 Brevissimo te amandi
 Potuit docere solers?
 Flemingo an excedenti
 Tuo statim fuisti
 Amice substitutus,
 Amantissimq; mansum
 Numerum redintegrasti?
 Qui quaso te fefellit
 Sagittifer puellus,
 Puellus ille bellus
 Qui quaso te fefellit?

Amate, copulate,
 Vincite, colligate
 Vos invicem puellis
 Puellulasq; vobis
 Fraterculi ac amici!
 Audite sed, manum de
 Tabula, tenetis illud?
HANC optimam tabellam
 Nolite palpitare,
 Hanc auream tabellam
 Nolite maculare,
 Acciri amata debet
 In cuius illa justum
 Syli tenetur usum,
 Qui pingat hanc tabellam
 Pulcerrimo colore
 Et tingat hanc tabellam
 Cuiusq; nitore.
 Acciri amata debet
 Nolite palpitare
 Hanc venditam tabellam,
 Nolite maculare
 Hanc auream tabellam,
 Puramq; gen meamq;
 Amara - dulcis herba.
 Nis fallor, est Galeno
 Quedam, sed et quid illud?
 Simul quod est amarum
 Simul quod estq; dulce?
 Vos d'cite o amantes
 Vos delicatiores
 Et vos everiores
 Exercitatiores

Et adprobatores
 Quae nuncupatur illa
 Amara dulcis herba
 Amor mihi vocetur
 Mutabilis ministrans
 Miras vicissitudes
 Multas amaritates
 Multasq; suavitates
 Magnasq; vanitates
 Subinde ministrans
 Amor illa mi vocetur
 Amara dulcis herba
 Quam deperis puellam
 Et experis puellam
 Amasiam puellam
 Non vult tibi puella
 Puella nuncupari
 Quae deperit vicissim
 Sponsamq; te gemiscit
 Amasium procumq;
 Amasius prociusq;
 Non vult huic vocari
 Quod si pares amores
 Sepe, & pares caecores
 Et sunt pares amantes
 Consentunt amantes
 Non sunt pares parentes
 Dissentiunt parentes
 Et dissipant amantes
 Et dissipant calores
 Dissentiuntq; amores
 Hoc est fati decorus
 Non estus & enus
 Facundus atq; doctus
 Olimq; quid futurus

Sed non pecuniosus
 Minusq; ponderosus
 Dat villa, bos, asellus
 Victus opimiores
 Virosq; ditiores
 Nummosq; certiores
 Damosq; peniores
 Dat villa, bos, asellus
 Huic collocanda asello
 Inquam huic cui est asellus
 Bos, villa, rastrum, aratrum
 Maria, Magdalena
 Rosina, Margareta
 Catulla, Lisa, Nisa
 Est collocanda nostra
 Raro exteras dat aurum
 Callere posse linguas
 Neq; astra sine cistas
 Vatem vel esse, raplet
 Huic credo conferendus
 Ni penes praeserendus
 Idiota dives, isti
 Ajunt homunciones
 Tengisti ecce rem ipsamq;
 Ut crescit inter ipsos
 In pulchriore prato
 Urtica acerba flores
 Pomi q; cum rubellis
 Ut fluctuare equinum
 In puriore saepe
 Stercus videmus unda
 Sic blennius in politus
 Sic vappa ineruditus
 Cum prole Apollinari
 Novensiliq; turba

Vt inter. Ast reversa
Ad pristinum institutum:
Describe Musa quæstus
Amantiumq; gestus.
Non vivit, atq; vivit.
Non sentit, atq; sentit.
Non cernit atq; cernit,
Non languet atq; languet.
Ænigma solve sponse.
Quod vivit, omne amanti:
Dat vivere id puella.
Suaq; mancipatus.
Amator est puellæ,
Suaq; solam & unam.
Servire vult puellæ,
Suis quod si amator
Concernit id puellam,
Suis nec est amator
Quisquam absq; te, puella.
Quod vivit, omne vivit.
Amator in puellâ.
Ad omnia est ineptus.
Puerascit & senescit,
Nescitq; quid facessat,
Virtus quid & quid error
Non cernit, & latere
Secreta cuncta fingit.
Nec omnium in se ocellos
Suadetur ille verfos.
Vacillat, huc & illuc.
Discurrit at, viamq;
It, post breves eandem
Redit moras subinde.
Vbiq; tristis, omnem
Spernit sodalitatem.

Nullas jocationes:
Admittit involutus,
Nullasq; suavitates
Sentiscit inquietus.
Est nullus adpetitus
Homini ad comestionem.
Somnum nec experitur
Noctem sed universam
Consumit hac & illac:
Vivendo, commovendo.
Gemendo, cogitando.
Fingendo, somniando.
Crepusculo micante:
Primo resurgit, omnem
Muliebriter se adornat,
Molitur, & capillos
Crispat calente ferro.
Lanuginem tenellam:
Exornat, inq; vitro:
Verrendo gestiendo
Se spectat huc & illuc.
Pergit sacras ad ades
Non incitante Zelo
Sed attrahente velo.
Accommodatiorem
Et occupat cathedram.
Qua possit intueri.
Quod expevit videre,
Nec semoveret relicta
Suos precax ocellos,
Sed usq; & usq; & usq;
(Ignoscat impotenti
Pitæ sur benigna)
Stam adspicit puellam.
Introspicit puellam.

Et innit puella,
Vacillat atq; gestit,
Modò linteum tencillum
Promit, modo libellum
Volvit, revolvit, ore
Ridetq; complicato,
Sireat, subinde tangit
Os, atq; vanitatem
Exercet universam.
Amator ille, monstrum
Si non sit illud isto
Aenigmate implicatum,
Aenigmate hoc me ipsum
Non explicare possum.
Taliq; tu Georgi
Amator audu? obe
Fallor, beatorem
Amantibus misellis
Quis his e te negabit?
Negabit hisce te quis
Amantibus misellis
Quater beatorem?
Quam quippe d. peristi
Mox nactus es puellam,
Quam nemo quassisti
Sortitus es puellam,
Quam rite jam ambisti
Adeptus es puellam
In optimam maritam
Carissimam maritam
Castissimam maritam
Suavissimam maritam
Maritam & expetitam.
Sed heus (libet joculari)
Nunc incipis Georgi

Amare, nec labores
Quos attrahunt amores
Quos congerunt calores
Sub calculum vocasti
Non dumve pensitasti.
Foro praesse magnus,
Toro praesse maior,
Iuncti videntur esse
Mi maximi labores,
Diespiter quid audes?
Quod attrahis periculum?
Descendis in duellum?
In quale sed duellum
Descendis, anne bellum?
Bellum cluet duellum
Dubiosissimum duellum
Lepidissimum duellum
Castissimum duellum
Bellissimumq; bellum,
In quod cadis duellum.
Sta fortiter Georgi
Ad arma ad arma ad arma,
Cave manum remittas,
Viriliter resiste,
Et excipe osculorum
Iactus, tuos remitte.
Praesta in foro probatum
Te militem Georgi,
Praestaq; te Togatum
Equitem in toro Georgi.
A la arma praelianti
Tibi in foro adplicabis,
Alia arma d. micanti
Tibi in toro aptitabis,
Diversa postulabis

Diver

Diversus hostis arma.
Conjunge, Sponse, vires.
Cum præmiis utriq;
Et laude præfuisse.
Olim ut ferare spartea.
Idoneas benigna
Natura sponte vires
Ad hos dabit labores
Tuos, ut ille & iste
Decente pulchritate
Pulcrâq; dulcitate,

Dulciq; raritate,
Rarâq; caritate,
Carâq; castitate,
Castaq; amenitate
Splendescat & nitescat
Florescat & patefcatur
Clarescat & vigescat,
Fervescat & virescat,
Quod nostra Musa adoptans
Rogat sibi favori.

SPONSVS QVERVLVS.

Heu quæ nunc tellus miserum, quæ me æquora possunt.
Accipere, aut quæ fors restat acerba mihi?
Cui neq; apud Dominam superest locus, insuper ipsa
Infensa illudit, meq; fragosa necat.
In studia incertus contraria scindor, in ictu
Subreptus mihimet sufficio nec eo.
Quis locus iste, capax querulæ qui vocis amantis?
Quæ lacrymas, tellus quæ satis ampla, bibat?
Quem peto locus erit procul hinc tutissimus, omnes
Fundere lacrymulas lævaq; fata queri.
Fallor an hunc ipsum tetigi meditando? profectò
Visus sponte mihi est adproperare suâ.
Omnia quàm in viridi hoc rident viventia luco,
Omnia, quæq; auræ quid vegetantis habent?
Obscursura loco veluti mihi planta viderur,
Lætitiâ & quævis expositura suam.
Omnia lætantur sunt integra cuncta, volucres
Cum paribus jungunt sese in amore pares.
Heic non musca quidem quæ non cum compare vivat,
Quæ non participem se velit esse paris.
Imò vel amplexu dependet ab arboris arbor,
Flos floris, plantæ planta, lapis lapidis.

Ipsus.

Ipsus homo haut hominem possum exorare puellam,
Ut mihi se parili jungat amica modo?
Væ mihi! væ misero! me quæq; beatior hac in
Sylvâ vivit avis, plantula, musca, lapis.
Omnibus in socio fit copia vivere nido,
Atq; mihi in socio vivere nulla toro?
Vivere pergo tamen? mihi & heic superesse lubebit?
Prorahere invisas has sine teq; moras?
Mille meo non corde latent ac mille dolores,
Sed numeris atomos æquiparare queunt.
Tot fudi lacrymas, & tot suspiria duxi,
Pectora nunc gemitu, lumina rore carent.
Florè juventutis qui carpere vera beatus
Gaudia debebam, totus amore necor.
Mens perversa gluet, Veneris perière nitores,
Reddidit absimilem me mihi sævus amor.
Sol animi Catharina mei, regina mearum
Unica curarum, causa mei q; mali;
Pergis adhuc miserum me perdere, pergis amantem
Deserere, angores & cumulare meos?
Nulla est arx adeò munita vel obsita, quam non
Tempus & hostilis vis superare queat.
Durities lapidis repperta nec illius unquam,
Quem non artificis fregerit apta manus.
In tantam surgis quæ frons ilignea molem
Heic, agili quæ non sis pede scansa viri?
Quæ cerva in nemore hoc formosa procacibus unquam
Effugit pedibus rete Diana tuum?
Quæ vel equa indomitum peperit sæcunda caballum,
Quem non ferratâ calce domârît eques?
Et Catharina tuæ nec Marte nec arte tenenda
Arx mihi, legitimis, vîrginitatis erit?
Credo pependisti lactandus ab ubere matris
Infans non hominis sed, mea vita, feræ.
Tigride nata venis, solidamve in pectore ferrum,
Aut rigidos filices, aut adamantâ geris. Tol.

Tollite me Fata, & quascunq; abducite terras,
 Ad patrios nunquam meq; referte Lares!
 Quod mihi confugium, quod erit solamen amanti?
 Quis peperit Genius mi tot acerba malus?
 Ah vestros volucres cantus lenite, dolores
 Et potius querula flere iuvate meos!
 Vestra ad aperta loqui video velle ora, difertis
 Sunt ea nec verbis pervia, dicta negant.
 A læva latus ad dextrum fero lumina circum,
 Si qua aliunde mihi se obviam imago ferat.
 Obviam imago ferat miserum solantis amantem,
 Et quibus, ex dubiis eripientis, agor.
 Sed nusquam (heu!) spes ulla boni, sunt omnia muta,
 Omnia sunt nostris surda venire malis.
 Inplebo lamore nemus, num forte Deorum
 Audiat heic me quis, consilium q; ferat.
 Vos Fauni, vos o Satyri, miserantia Nymphæ
 Numina, vel quidquid, queis nemus hocce sacrum.
 Vos date consilium solantis verba / venite!
 Audite laudite! ah nemo ibi collego, Ego.
 Audio quid, nisi fallor, adhuc clambo: vocantis
 Quam miseret queruli fors Dea adest? ea adest.
 Corda levare cupis curasq; resolvere? verè.
 Spes inopi q; viro consolidare? dare.
 Dicere at eventura mihi potes ipsane? sane.
 Ac ignota etiam reddere cognita? ita.
 Ut verè redamer faciam dic ergo quid? o quid.
 Auspicer unde miser nescio ego. scio ego.
 Hoc te scire scio bene consule mi quod: quo, qua?
 Quoniam, qui redamer, rum mihi fide, vide.
 Haut visis teo raris amor, quid deinde? firinde.
 Quid sit, an optatum & seruum amare? mare.
 Tristitia maius fiet mare scilicet? icet.
 An magis lætificus pectora clamor? amor.
 Si semper videram, quem post me gesserò? ferò.
 Sero me spontum velle videris? eris.

ECHO

B

Diss

Difficilis, mora, res, modò non sit inanis?	in annis,
Quotnam sufficiunt, sunt duo sat?	duo sat.
Tempora quò potero tam longa fugare?	fuga re.
Rebus amor cederet num genialis?	alis.
Ec quid alam, flammæ haut fuerit meta ulla?	medullâ.
Neve levare ullâ quivero lege?	lege.
Lectio reddiderit mihi tempora amena?	Camena.
Ergo mea in studiis gaudia sint sita?	ita.
Ah nimium gemino mora longa sit annus,	it annus.
Sed tamen est moræ amans in patiens?	patiens.
Imq; moras superans, Dominæ fuerit opimus?	imus.
Se blenno præ me an deferet?	anteferet.
Atq; tot angores incassum perfero?	ferro.
Inveniendus erit cuspide finis?	in his.
Eheu vos. Parcæ me funere ferte?	reverte.
Eheu spes cecidit nunc mea penè?	bene.
Ludere me cessa sone tristifer ajo.	fer ajo.
Præmia nec potero ferre ve res?	referes.
Verba videre iterum nihilo de cedere.	de re.
Non puto te sannas vel dare sputa,	puta.
Sed quid erit, reliquo cum sit prævinctat?	revincta.
Miq; dicari aveat virgo pudica?	dica.
Eius in amplexu dabitur mihi vivere?	verè.
Inconstanter agis, ludis an Echo?	an ego?
Tu, mihi qui responsa nimis das æpera,	spera.
Sæpe fefellisset niquoq; spes,	quoq; spes.
Imò, viro multum mulier promittit,	omittit.
Omnia, speq; procum, quem malè fallit,	alir.
Prændit tempus nondum sibi nubile,	bile.
A Patris aut sibi cen ungue cavere,	feræ.
Præcipit aut patriis tractare laboris,	ab oris.
Quid, suo & in proprio nolle pilare.	lare.
Iuro revertenti me nubere velle,	revelle.
Si secus hoc quot stant vertica comæ,	comæ.
Inquit, & aureolo vocem linir ore,	aitore.
Pectus ait, canit os dum tibi suave,	cave.

Sic

Siene fides debet spectata valere?	valere.
In pariliq; spei turbine dego?	nego.
Dum spiro spero tamen, an placet illud?	& illud
O fierem hoc sponsus tempore Veris?	eris.
Ergo meam adgrediar qui rem feliciter?	i ter,
Ibo ter atq; quater si licitum?	licitum.
Ire quidem licitum mihi, non sed adire?	et adire,
Quid quando incassum talia conor?	honor.
Exulet iste honor, haut fuero eius amator,	amator.
Lex est, cui operam vix ea navet,	avet.
Est sane parere nimis, reor, effera,	vera.
Atq; reluctantem se mage præbet,	hebet.
Ni mihi amatori fieret quoq; perfida?	fida.
Nempe fide steterit more suo?	ore suo.
Scilicet oscula sinet facilis retulisse?	tulisse,
Oscula legitimè sed daret oro,	toro.
Reppulso quid erunt insignia, fabula?	bullæ,
Ergo triumphantem me fore reris?	eris.
Comprober eventu Deus optatissimo?	is imò.
Cælitus ac opus hoc prosperet idem?	& idem.
Restat adhuc dubiū, modò non vis linqere?	quere.
Proximè ut excipiar virgine suavè?	fave.
Ritè mones, equidem faveo, sed inutilis	illis
Vincere quæ lapidem penè queunt,	nequeunt,
Si nequeunt, semper cur ergo manet eadem?	dem?
Da precor, humani num quid habent?	id habet.
Legitima si lege petam redamabit?	amabit,
Et mea tristitia corda levabit?	abit,
Fædus inibo tori quoq; eâ cum conjuge?	juge,
Semper ita oscula licet sollicitare?	dare.
Lætitiâ emorior, si seria dicis,	adi scis,
Sic ibit mecum concubitarum?	cubitarum,
Quid faciamus ibi, ludus peragendus?	agendus,
Sed quis adestnè, rudes quo doceamur?	amor,
Omnia quàm rectè es mihi visa resolvete?	verè,
Cosilium puto sic esseq; re?	sequere.

Te sequar, aëria dum vivo sub iride, ritè.
Principium & faciam mox aliquale, vale.
Tuq; jovaq; chens quoties qua sivero, vero
Consilio & mihi ades, dum modo venero, ero.

CHORVS.

Cedite cerdones, cessit cunctatio cautè,
Conjugium Christo constitente colunt.
Carmina Castalix castis cantate Camenæ
Conjugibus, cultum condecorate chorum.
Conjurata cohors cecidit contraria conans,
Cuncta cavente catè cunctipotente cadunt.
Currite conjunctim collem, conjungite casta
Corpora, conflictus castra cubile cluent.
Castra cruore carent Cypriæ, certamina crudâ
Clade, cava clypeo cingere cura caput.
Cara coniscantes collidite corda, cavernas
Conjugij cypriâ claudite clave cavas.
Calle cupidineo concors consistite corpus,
Cunaram curas condite colliculos.
Contulerit Cana convivia cuncta coronans
Cetera comparibus comoda conjugibus.

AD SODALES IOCVS.

AT vos Aoniis pridem certastis in arvis
Qui mecum, junxit quosq; probata fides;
Quam vestro utimini vos prospere Flemingo
Sorte quibus præ me dij cumulare bonis?
Vivitis ex patrijs (procul absit opinio verbo
Læva) bonis, patrijs vivitis inq; bonis.
Solliciti de pane parum, quo vivere factus
Quisq; velit conjungi quæve habitare domo.
Præripitis (quod majus) eas sibi quiq; maritas,
Quos Cræsus Pater est, mater amica Venus.
Omnia sufficiunt vobis, quæcunq; voluptas
Exigit, ad quid vos blanda libido trahit.
Et fortuna pari me respexit ocello,
Næ mihi jam in cœlis esse viderer ego. Sed!

Sed fortunæ homines nos inferioris, & olim
Queis suus est studijs cœtus alendus erit;
Degimus extorres, dulcesq; relinquimus, addam?
Linquimus, heu! lin - lin - linquimus, addo, lares,
Vivimus in curis, summisq; laboribus, ipsum
Rumpimus & cerebrum penè vacando libris.
Vivimus in morbis, materna nec offula lectum
Advolat, est varij lectio nulla cibi.
Sicq; juventutis miserè (va!) perdimus annos,
Delirijs vobis quos dare dulce fuit.
Adpulimus tandem patriam, nostroq; labore
Speramus nobis præmia digna dari:
Ecce peregrinis vagus advolat hospes ab oris,
Hunc præferre suis, grande favoris opus.
In nostrum crevisse torum speramus ituram
Hactenus, optatâ læti iâq; frui;
En magis insignes vos præripuistis amicas,
Pieriis messis nempe secunda sat est.
Non ita vos Domini, messis nos prima decebat:
Iure, quibus curæ laus patriæq; salus.
Quis secus Aonijs deinceps sudaret in agris,
Lustraret. Clarias quis male-sanus opes?
Vos, inquam, messis satis ampla secunda manebat,
Trita prius nostro vos pede arista decet.
Vir sed arundineo residens in litore, tutus
Decerpit calamum qui sibi cunq; placet?
Esto, sed esto ita, ne sibi quivis advena blennus,
Quivis blax aditum gaudeat esse parem.
Hoc superadmoniti, maneat mea nempe superstes
Saltem innupta, meo sola locanda toro.
Nusquam accita abeat, me sola superstit amari,
Hanc, quot & eligitis linquite quaeso meam.
Donec ad optatam Musis comitantibus urbem.
Transiliam, socij sic eritisq; boni.

AD SUAM ABITVRIENS.

Quid dabis in pignus, quo munere soles iturus?
Arrhaq; perpetui quæ sacra amoris erit?
Serta? quid hæc? non illa volo, sunt palpa, dedisti
Tot, jam sunt nari nausea facta meæ.
Oscla? nec illa placent, dederis si sola, puellæ
Non adeò cuivis oscla negare solent.
En dextram? quæso quid dextra fidesq; puellæ?
Verba quid? anne levis ventus & aura cluent?
Brachia decipiunt semper - pendentia collo,
Atq; per assiduas oscula fixa moras.
Verba sequunturò jurantia pondere, vero
Et lacrymas inter singula dicta carent.
Lævam aperi cypriâ mammam tibi cuspide, velle
Cor, lacrymisq; tuis abluè sanguineum.
Aureolis hæc verba notis inscribe: *Flemingo*
Cor nihil hoc nisi mors separet atra meo.
Auro et compositum mitte, id mihi munus, eunti
Hoc & non aliud pignus amoris erit.

IN CLIPIDINEM.

Nate sacra Veneris, puer invictissimus audis,
Et subiecta tibi singula viva tenes.
Nullus adhuc vixit, vivit, vivetq; nec unquam,
Te sibi qui præcox induperare neget.
Imperio parère jubes & bruta verendus
Cuncta tuo, pisces, penniferumq; genus.
Summula nec puero sumtus tibi tanta potenti
Est, tennes vestes unde parare queas?
Subiectis unum de quælibet exige nummum.
In toto nec te ditior orbe fuit.
Non placet illud, adi pecudes, & cædè sagittâ
Quas lubet, atq; tibi pellea vestis erit.
Nec placet hoc, pisces vel aves cape retia ponens,
Da venum, ac amplum feceris inde lucrum.
Nec placet istud, adi nostram, peiusq; puellam,
Fige amet, aureolum & pramia regmen habe.

AD

AD FAMAM.

Fama file, nostram si quâ titubare puellam
Videris, adversum forsan & ire fidem.
Quippe domum rediit rarissima virgo jugali,
Paucula quin post se liquerit oscula, choro.
Et novi juvenum mores, glomerando puellis
Sæpius ignaris oscula subripiunt.
Sæpe puella sciens hinc oscitat inde, procacem
Ac ignara velut sumere sponte sinit.
Increpat, erubuit, quæ non contenta, petiscat
Cum tacito toties pectore plura tamen.
Impia quæ mater teneris natura puellis:
Quod fidei, spondet quâ malè virgo, genus
Pessimus ille fuit docuit quicumq; choreas,
Quiq; propagavit pessimus iste fuit.
Vos Patriæ proceres his interdicit, si vos
Nomen ab æterno ferre libido trahit.
Fama sed eia file, nimium ne macerer, aures
Adq; tuas si quid venerit Albi, file.
Albi file placidè, rapidis ditissimus undis
Qui nostræ transis docta theatra scholæ.
Tuq; file huiusdem circumdans mania vallum
Urbis, musei proxima terra mei.

FINIS.

ALBANA

D. JOHANNEM STEYRMIVM

D. CHRISTIA

NO. P. R. A. L. A. B. A. N. O. C. O. M. I. T. E. A. L. E. M. A. N. I. A.

D. O. M. I. N. O. S. E. P. T. E. M. B. E. R. G. I. A. E.

C. O. N. S. I. L. I. U. M. A. U. T. H. O. R. I. T. A. T. U. M.

F. I. N. I. S.

E. X. C. U. S. A. B. A. T. A. S. A. C. T. I. O. N. E. S.

A. N. N. O. M. D. C. X. I. X.



ULB Halle
002 677 830

3



56

Nv 1999

(1/69.)

VD 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.



an 4³



FLEMINGI

lini
juvenilium
ospasmatium

CATISSIMIS
enis

Humanissimi

on Berge Ser-

Reip. Patriæ p. t.
nioribus.

simaq; Virginis

V TENIÆ

ni viri
m. EIVSDEM

is Filiae Ser-
ebrandis
edicatum.

RGAE,

erianis,

XIX.

dovicus possessor.

